ingenio, doctrina, pietate et eloquentia præstantes, ad hunc laborem excitarem, ipse in quo omnia minus quam mediocria sunt, de Consolatione Ecclesiæ libellum scripsi, quem, doctos uiros, quos multos Romæ noui, rogo ut corrigant, augeant, mutent si ita eis libet. modo ipsi copiosiorem ad subleuandos deiectos multorum animos scribant, nullum alium huius meæ industriæ fructum postulo. Hoc meo quidem iudicio in omni casu, præsertim in maxima Reip: Christianæ perturbatione debet esse consolationis caput. Sic placet Deo. Sic meritum est populi Christiani. Si iustitia Dei non appareret, natura hominis cum domesticis inimicis et pessimis consultoribus suis, infirmitatis oblita suæ, esset adhuc intolerabilior, nihil non auderet, nihil non conaretur, de maiestate Dei detraheret. quod si quis dicat se malle Dei clementiam quam iustitiam apparere, is est audax nimium, et non intelligit utramq; hoc est iustitiam et misericordiam ubiq; elucere, et fieri non posse ut non eluceant. et quanq; iudicia Dei abyssus sunt, ut tamen coeli, elementa, metalla, stirpes, tot genera animalium, admirabile animal homo, testantur potentiam, sapientiam et bonitatem Dei, ita religionis, imperij, rerumpub: bellorum, pacis, studiorum, et artium mutationes et conseruationes, exprimunt eiusdem iustitiam et misericordiam. Sed ut ex hoc loco consolatio capiatur, humilitas uirtus nobilissima, philosophis, qui euanuerunt in cogitationibus suis minime cognita, est necessaria. Qui humilitatem despiciens, sibi arrogans omnia, Dei prouidentiam non agnoscit, eius

iustitiam

iustitiam odio habet, is expers omnis consolationis traditus in reprobum sensum est, cuiusmodi sunt pleriq;, quos uulgus beatos putat qui miseri putandi sunt et eo miseriores quod scelerum suorum poenas non dant, eaq; ratione insolentes fiunt. est enim poena, ut Plato etiam scripsit, medicina, et ea salutaris, qua mortalium animi sanantur, quam luere ut eidem Platoni in Gorgia placet est optabilius quam aufugere, et ideo quos amat Deus punit, et quia punit corrigit. quos amore et cura sui indignos statuit, hos negligit, hos non corrigit quia non punit. Resp: igitur Christiana consolationem capiat, consoletur se ipsa Italia quod in Christi pietate multos annos enutrita, uarijs modis ferro aliquando, interdum fame, nunc etiam peruersarum opinionum uarietate punitur.

miserrima et omni consolatione destituta Turcarum natio et uniuersa Mahometica secta quod non punitur à Deo, quod captiuitate Christianorum propagatur, quod opulentissimos tyrannos suos ut Deum colit. Non minus misera seditiosorum hominum res nouas cogitantium infida societas, quod Deus eam non dissoluit, et tanti sceleris tantæq; impietatis poenas differt. Ita sacra historia docet boni uiri quod puniuntur, Deo se acceptos esse intelligunt. Nam ut aurum probatur in fornace, ita in calamitatibus Deus facit periculum eorum quos diligit, exemplo Moysis, Abrahæ, Dauidis, Iob, Apostolorum, Martyrum et aliorum uti possem, sed in re nota non est opus exemplis. Bonum est mihi quod humiliasti me ut cognoscerem iustificationes tuas. Clamaui ad te Domine cum tribularer alio loco inquit ille idem diuino spiritu afflatus, sic nobis